Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Diues tanta quae familiae mater. et ideo licet uidua non tamen deso
lata. quomodo occupauerit cor tuum praecipue quae sibi uindicauerit
orandi cura. Nisi quia prudenter intellegis quod in hoc mundo et in
hac uita nulla anima possit esse secura. Proinde qui tibi eam cogita
tionem dedit. profecto facit. quod discipulis suis. Non pro se ipsis. sed pro
humano genere. contristatis et desperantibus quemquam posse sal
uari. Posteaquam ab illo audierunt. facilius esse. camelum intrare
per foramen acus quam diuitem in regnum caelorum. Mirifica
et misericordissima pollicitatione respondit. deo esse. facile quod
hominibus inpossibile est. Cui ergo facile est. ut etiam diues intret in reg
num caelorum. Inspirauit tibi piam sollicitudinem de qua me con
sulendum putasti. quonam modo tibi esset orandum. Ille namque cum
etiam hic adhuc esset in carne in regnum caelorum zacheum diuitem
misit. Et resurrectione atque ascensione glorificatus. multos postea
diuites inpertito sancto spiritu fecit. huius saeculi contemtores. et finita diuitiarum
cupiditate ditiores. Quomodo enim tu sic studeres orare dominum nisi
sperares in eo. Quomodo autem sperares in eo si sperares in incerto
diuitiarum. et contemneres praeceptum saluberrimum. Quod
apostolus ait. praecipe diuitibus huius mundi. Non superbe sapere
neque sperare in incerto diuitiarum. Sed in deo uiuo qui praestat nobis
omnia habundanter ad fruendum. diuites sint in operibus bonis. facile
tribuant. communicent. thesaurizent sibi fundamentum bonum
in futurum. ut adprehendant ueram uitam. Debes itaque propter amo
re huius uerae uitae. etiam desolatam te putare in hoc saeculo. in quanta
libet eius felicitate uerseris. nam sicut est illa uera uita. In cuius conpa
ratione utique ista quae multum amatur quamlibet iocunda atque
producta sit nec uita dicenda est. sic est etiam solatium uerum quod per
prophetam promittit deus dicens. Dabo illis solatium uerum. pacem super
pacem. sine quo solatio quaecumque sunt terrena solatia magis in eis
desolatio quam consolatio repperitur. Diuitiae quippe atque